

CAPUT IV.

Complectens errores circa Essentiæ divinæ unitatem, Personarumqve Trinitatem.

Σύνοψις.

1. Produuntur Spiritualitatem DEI infestantes, corpusq; ei affingentes. (2.) Taxantur unum & trinum ex Rationis judicio variè estimantes. (3.) Prostituitur Arius cum complicibus diversis. (4.) Serveti utriusq; Socini & asseclarum degetuntur stabiligines. (5.) Rationes potiores subvertuntur. (6.) Generationem Filii & processionem Spirit. Sancti arrodescentes castigantur. (7.) Novatorum & Arminianorum absurda suggeruntur de fide circa Trinitatem implicita. (8.) Ventilantur exceptiones ad demonstrationes Biblicas.

§. I.

UTinam verò, quæ de se ipse hoc modo suggerit altissimus, piâ simplicitate simpliciq; pietate omnes ubicunq; homines arriperent, cogitantes illud Clementis: τῆ πίστι ὡς ἀδελφὰ πολλοῦ ἀγαγόμεντῃ. At cum plurimis & hîc plus valeat scrupulum Rationis, quàm pondus fidei, non pauci argumentorum lenociniis fascinati in horrendas fluctuantium opinionum Scyllas incidere. Neq; enim plumbeis quibusdam ingeniis fuit verosimile, DEUM simplicissimum esse Spiritum, sed formam illi humanam, membraq; tribuere corporea, extensionem, brachia, dextramq; localem, præter nonnullos Hebræos Manichæi, Audæani, ut & Monachi Eremitæ in Ægypto, ob id Antropomorphitarum scommate notati: idem stolidi sentiunt Mahumedani; & nuper, ut ut non apertò Marte, consequentiis tamen ineptis, frivolum restaurasse, portentum putatur Conradus Vorstius, sive seriò, sive, quod ipse prætendit, saltim in personâ disqvirentis, adeoque non tam sacrarum literarum effata, quàm Theologorum sententias impetentis; unicum, cui innitantur, est, quòd DEUS oculos, aures, nares, manus & similia habere dicatur: quod facillè diluit Augustinus:

C 3

Omnes,